

*ſio Camaldulenſi Mantua reperta ſub titulo Johannis Conſulis de variis quaſtionibus, ut ipſe Ambroſius teſtatur in Epistoſis, quæ manuſcriptæ viſuntur in Vaticanæ Codice 1793. & reſert Auguſtinus monachus Camaldulenſis in vita ejuſdem Ambroſii: edita fuit cum Legibus Longobardorum a Nicolao Boerio (Lugd. 1512. Venet. 1537.) tum anno 1560. a Ludovico Miræo Lugduni, mox Brugis anno 1565. quum Miræus accepiſſet ab Emaro Raucneto duo exemplaria, & unum a Ruſſardo, Cuſacii opera; dein ab Antonio Auguſtino Pariſiis 1567. & a Petro Pitheo Baſilæ 1576.*

Alius, ſed anonymus tranſtulit etiam *Necepòs*, ſeu *Novellas*, de quo hæc Fabricius Tom. XII. pag. 399. *Verſio & ipſa vetus, ſed minus elegans, quæ venit nomine Authentica, quoniam ad literam facta eſt, & κατὰ πρόδα, atque in foro a multis recepta ſæculari, incertum, quo interprete, vel quibus interpretibus: ſunt enim qui plures volunt, & tam antiquos, ut a Gregorio magno lectam putent, veſtigiaque ejuſ in Gregorii l. XI. epiſt. 54. & in Iſidori libro Canonum Eccleſ., & in Capitulis Regum Francorum, necnon in Concilio Pariſienſi, quod ſub Ludovico Pio habitum eſt, ſibi videantur deprehendere ... Hæc Authentica novellarum verſio in novem Collationes circa idem tempus diſpoſita eſt a Juriconſultis Papienſibus ſub Friderico II. ſeculo XIII. Collationis autem decimæ loco Hugolinus librum feudalem, Oberti de Orto ſubjecit. Hæc verſio XCVIII. tantum, novellas complectitur, quæ a gloſſatoribus Bartolo, Baldo, Accurſo, Angelo de Ubaldis Peruſino, Jacobo de Belviſo, Johanne &c. illuſtrantur, & ſola videntur in foro auctoritate pollere. Excusa eſt hæc verſio in antiquioribus quidem editionibus corporis Juris ſincera frequentiffime, in poſterioribus interpolata pluriùm additione, novellarum ex aliis verſionibus. Hactenus Fabricius.*

Latine extant *Conſtitutiones Novellarum Authentica-rum*, anonymo Interprete, in Collationes IX. & Conſtitutiones CLXVIII. diviſæ, in Codicibus manuſcriptis Bibliotheca Vaticanæ, nimirum, In Codicibus Vaticanis